



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

15. An poena inhabilitatis imposita in Bulla Sixti V. obliget ante iudicis
declarationem? Ex part. 7. tract. 5. resol. 18.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

res ex vi suorum Privilegiorum possunt dispensare tam in irregularitate contracta ex abortu foetus animati, quam habilitando ad officia suos Religiosos, etiam pro foro externo, & sine dubio ab excommunicatione. Idem etiam Novarius in *summa Bull. tom. 2. tit. de Abortu, n. 21.*

3. Notandum est etiam hic obiter, supradictos Praelatos posse hanc potestatem delegare & committere uni Confessori subdito ut dispense in foro conscientiae cum delincente. Ita Portel. in *dub. Reg. ver. Abortus, num. 12.*

RESOL. XII.

An Superiores Regulares possint habilitare ad officia Regulares, qui procuraverunt abortum?

Et an Religiosus indigeat hac dispensatione super excommunicationem, vel irregularitatem, si in Visitatione aut Capitulo fuerit dispensatus in irregularitatibus, prout fieri solet in Visitatione à Prelatis, etiam si Religiosus crediderit, se non indigere dicta Praelatorum dispensatione, pro illo tunc? Ex p. 7. tr. 5. Ref. 13.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Villalobos in *sum. to. 2. tr. 11. diff. 14. n. 7.* ubi ita asserit: [Assi mismo pueden los Prelados regulares dispensar en la inhabilitación para los oficios que pone Sixto V. que es la no es reservada, y tienen privilegio concedido despues de Sixto V. por Gregorio Decimoquarto para habilitar à sus subditos, y quitarles qualquiera inhabilitación, concedido à una Orden de Italia como refiere Sorbo. Y toda esta potestad la pueden cometer los Superiores, por lo que diximos arriba.]

2. Advertit Portel por una doctrina de Navarro, que si el Religioso que huviesse incurrido en est caso, se hallasse en el Capitulo Provincial, o de la visita, donde el Prelado dize en general, *Abfolvo vos ab omni censura; & dispenso vobiscum in omni irregularitate & habilito vos ad omnia*, en tal caso quedaria el subdito absuelto, y dispensado, aunque entonces no se acordasse de la censura o irregularidad. Ita Villalobos, & post illum Zambellus in *Reper. mor. verb. Abortus, n. 3.* Sic asserens: Advertimus tamen hic hunc Religiosum non indigere hac dispensatione, si in Visitatione aut Capitulo fuerit dispensatus ab irregularitatibus, prout fieri solet à nostris Prelatis, etiam non cogitantibus dispensationem hujus irregularitatis, & etiam si Religiosus crediderit se non indigere dicta Praelatorum dispensatione pro illo tunc. Ita Zambellus, qui citat Graesium: Quibus omnibus adde Bordonum in *Conf. Regul. Ref. 13. q. 5. n. 20.*

RESOL. XIII.

Quid sub prohibitione officiorum contra procurantes abortum intelligatur in Bulla Sixti V? Ex part. 7. tract. 5. Ref. 27.

§. 1. **R**espondeo quòd nomine Officij intelligitur munus habens administrationem rerum, vel personarum Ecclesiasticarum cum superioritate. Sorbus ver. *ingressus non circ. fin. n. 8.* Sanch. in *Decal. lib. 6. c. 15. n. 66.* Et sic continetur officia habentia jurisdictionem ordinariam, ut Generalis, Provincialis, Superioris localis, & Vicarij, ut Sanch. ibi. Miranda *to. 2. q. 2. art. 8.* Bonac. de *largit. mun. disp. 3. punct. 5. n. 2.* Itē continentur habentes jurisdictionem delegatam ratione certi officij, seu personatus, vel ita ut sint in ea majores Ordinarij, ut Visitatores provinciarum, Miranda *loc. cit. concl. 2. Tom. V.*

Item contineri Definidores, Discretos, & Procuratores ad Capitula generalia, & provincialia, ait Miranda. *loc. cit.* Sed contraria est magis communis, scilicet eos non contineri, ut Bonac. ibi cum Soula, & Barth. à S. Fausto, & aliis. E contra non continetur officium Concionatoris, Lectoris, Confessarij, Regentis studiorum, ut Sanch. ibi. Filiuc. *tr. 34. n. 77.* Bonac. & Miranda. *loc. cit.* Item non continetur Assistentes Generalis, Magistros Novitiorum, Consultores, Admonitores, & Praefectos Sacristiae, ait Bonac. ibi cum citatis. Et haec omnia docet P. Thesaurus, in *prax. p. 1. cap. 28. q. 1.*

RESOL. XIV.

Quomodo obliget privatio privilegij Clericalis, & omnium Dignitatum, & officiorum, & beneficiorum imposita in Bulla Sixti V?

Et an dicta poena obligent reum in conscientia ante iudicis sententiam, & declarationem? Ex p. 7. tr. 5. Ref. 17.

§. 1. **S**uppono procurantes abortum sequuto effectu, incurrere ex Bulla Sixti V. & Gregorij XIV. privationem omnis Privilegij clericalis, & omnium dignitatum, officiorum, & beneficiorum (quae perpetuo erunt Sedi Apostolicae reservata) & inhabilitatem ad alia similia. Hoc supposito quaeritur, an dicta poena obligent reum in conscientia ante iudicis declarationem; & aliqui respondent affirmativè, quia haec poena privatur ipso jure bonis communibus ut publicis officiis, dicunt posse obligare, & censeri obligasse in foro conscientiae reum ad dimittenda officia, etiam in casibus occultis, quia haec bona magis pendent à potestate publica legislatoris: & ita tenet Garzias de Benes. *p. 11. c. 12. n. 18. 19. 20.* cū Abb. Felim. Navar. Paris. & Lorca, quos allegat n. 18. ubi cum Sorbo ait, quod commissi poena privationis officiorum tenetur, vel dispensationem, seu rehabilitationem procurare cum omni diligentia, & sollicitudine, vel dimittere officium, seu renunciare; si tamen possit renunciare sine manifestatione proprii criminis, alias enim non teneretur cum sui infamia dimittere, juxta communem Theologorum: Ita Sayr. ibi.

2. Sed contrariam sententiam docent communiter Doctores, quos ad satisfactum adducit Sanctarellus, *tr. de Apostat. c. 4. n. 13. in fine*, & me citato Marchinus de *Sacr. Ord. tr. 1. p. 8. c. 4. n. 32.* & etiam me citato novissimè Barb. de *potest. Epis. p. 2. Alleg. 44. n. 29.* quia nullus tenetur esse reus, & vindex: ergo requiritur sententia declaratoria etiam in foro conscientiae antequam quis obligetur imponere sibi poenam à jure statutam. Et lex humana non censetur obligare cum tanto rigore, saltem nisi exprimat, ut in conscientia ante omnem declarationem dimittere teneatur; & quia haec poena exigit factum hominis positivum ad sui executionem.

3. Verùm P. Thesaurus in *Praxi p. 1. c. 28.* sequitur mediam sententiam tutiorem, & in praxi passim receptam, praefertim in stylo Curiae, quòd dicta privationis officiorum Ecclesiasticorum poena obliget in conscientia juxta priorem sententiam, quando calus est manifestus; & ratio est, quia tunc superioris acta incipiunt esse nulla, cessante titulo colorato ob privationis notorietatem. Quandiu autem privatio est occulta, non videtur obligari in conscientia, quia ejus acta ratione publici officij sunt valida manente titulo colorato.

RESOL. XV.

An poena inhabilitatis imposita in Bulla Sixti V. obliget ante iudicis declarationem? Ex p. 7. tr. 5. Ref. 18.

B b

§. 1. A d

Sup. hoc in §. 1. **A**D hoc dubium respondet P. Thef. in *Praxi* p. 1. cap. 2. §. 4. ubi sic ait. An pœna latae sententiæ inhabilitatis ad officia obliget in conscientia statim atque fuerit commissa? Respondeo secundum magis communem sententiam obligare, prout alias Ref. xi. *supra* cap. 5. quia hæc pœna est purè privativa, non requirens factum hominis positivum ad sui executionem. Ita Cajetanus 2. 2. *quest.* 62. *art.* 3. & multi quos allegat Sanchez in *Decal. lib.* 1. c. 39. *num.* ult. & communiter dicunt Suar. de *legib. lib.* 5. cap. 9. *num.* 2. Corduba *lib.* 1. *quest.* 35. *num.* 1. Alij tamen probabiliter tenent non ligare in conscientia ante declaratoriam, quos allegavi in d. cap. 5. *limit.* 1.

2. Alij verò distinguunt, quia si pœna inhabilitatis simul cum alijs pœnis apponatur, quæ non obligent in conscientia ante declaratoriam, ut cum pœna privationis officij, vel beneficij tunc neque hæc obligatio alijs secus si ponatur per se, vel cum alijs merè privativis: ita Molina *to.* 1. *disp.* 9. §. 6. cum Covarruvias & tenet Filiuc. *tract.* 34. *num.* 79. Hucusque Theſaurus.

3. Sed ego puto satis probabiliter hanc pœnam non obligare ante declaratoriam, ut docet Lessius *lib.* 2. c. 35. *dub.* 26. & Sanchez in *summa* tom. 1. *lib.* 2. cap. 39. *n. ult.* & alij cum hac tamen limitatione quòd si inhabilitatis pœna sit lata solum quoad illud numero beneficium, obligat in conscientia ante omnem declaratoriam: ut Suar. *tom.* 1. de *relig. tract.* ult. de *simonia* cap. 58. *num.* 9. Secundò est certum quod inhabilitas confurgens ex censura vel irregularitate, obligat in conscientia ante omnem sententiam, & ita Sanchez in *Decalogum* cap. 39. *n. ult.* & tali ratione ligat inhabilitas, quam Sacra Pœnitentia dispensando super irregularitate ex homicidio, vel abortu, relinquere solet in eodem dispensato. Sed circa difficultatem hujus, & superioris Resolutionis, quando casus occurrerit videbis Theſaurum ubi *supra* in part. 1. cap. 28. & 30.

RESOL. XVI.

An detur preventio inter judicem secularem & Ecclesiasticum contra procurantes abortum?

Et an si reus sit Ecclesiasticus tradendus sit Curia seculari? Et an ad exclusionem pœna temporalis, quando criminaliter agitur, satis presumi debeat potius inanimatus, quam animatus? Ex p. 7. tract. 5. Ref. 41.

S1. **R**espondeo affirmative, ut patet ex Bulla Sixti V. & ita docet Novarius in *sum. Bull.* tom. 2. tit. de *abortu* n. 5. unde n. 9. sic ait: Ampliatur quartò, ut probato delicto abortus, Iudices Ecclesiastici, vel seculares possint hodie procedere contra illud committentes, quia Gregorius circa hoc nihil innovavit. Ita ille, quod etiam docet Portel. in *dub. regul. verb. Abortus*, *num.* 9. & Rodriguez in *Quæst. Regular.* tom. 2. §. 33. *art.* 4. Et si reus sit Ecclesiasticus traditur Curia seculari, ut observat ex Quaranta Barbosa de *poteſt. Episc.* 3. *Allegat.* 111. *num.* 20.

Quoad hoc lege infr. doct. ref. 20. & 21.

2. Nota tamen hic obiter, quòd ad exclusionem pœnae corporalis, quando criminaliter agitur, forius presumitur potius inanimatus, quam animatus. Ita Doctores, quos citat & sequitur Barbosa ubi *supra* allegat. §. 1. *num.* 139. quibus adde Trullench in *Decalog.* tom. 2. *lib.* 5. cap. 1. *dub.* 4. *num.* 2.

RESOL. XVII.

An ex abortu casuali incorratur reservatio?

Et pro praxi hujus questionis multi casus explanantur in textu hujus Resolutionis, in quibus ex abortu

non incurritur reservatio. Ex p. 7. tract. 5. Ref. 20.

S1. **R**espondeo negativè Bordonus in *Conſil. regul.* to. 1. *Refol.* 45. §. 3. ubi sic ait: Quæres, An Abortus autem casualis est ille, qui sequitur ex aliqua actione, quam Religiosus fecit non ex intentione, & animo abortiendi, sed alio fine, five malo, ut ex odio, vel ut ex morte succederet in hæreditate, five bono, ne sequeretur infamia, &c. Respondetur, Abortus casualis non prævisus, à Religioso non inducit reservationem, quia applicatio cuiuscumque rei sit, non dicitur procuratio abortus, sed alterius rei. Confirmatur, quia casus iste intelligi debet juxta constitutionem Sixti V. ubi facit mentionem de abortu voluntario, non casuali. Deinde Nam. cap. 15. n. 14. dicit eum, qui in periculum non tamen probabile abortiendi induxit gravidam non peccare mortaliter, etiam si postea abortiat; ergo neque in casu nostro. Ita Bordonus, qui citat Floronum Graffium, & Lupum. Unde ex his Mazzuchellus *tract.* de *cas. refer. diff.* 2. c. 3. *quest.* 3. resoluit non incidere in casum reservatum abortus, qui interogatur de causis abortiendi remedium aliquod bona fide aperiret, quo postea foeminae alique ab abortum procurandum viceretur: in eo enim si bona fides adfuit, defuit voluntas abortum procurandi, prout deinde in nullam reservationem dicendus est incidisse. Secundò excusari medicum, eum, qui ut matrem morte liberet, illi in partu laboranti portiones præbet, vel quid aliud exhibet, ut facilius partus jam maturus nascatur: licet enim partus mortuus nasceretur, adhuc tamen non esset hoc medico imputandum ad peccatum. Et ratio est, quia ille non habebat intentionem procurandi abortum, sed partum naturalem. Tertiò, excipi illum qui ignoravit foeminam esse gravidam. Ita Steph. Quaranta, *verb. Abortus*. Et ratio est, quia non dicitur habuisse intentionem, & propositum procurandi abortum. Sic medicus, qui nescius an mulier sit gravis, idque nec animadvertens, nec animadvertens volens medicinam præberet, ex qua abortus sequeretur, non incidere in casum, etiam si forte mortaliter peccaret ob inadvertentiam culpabilem. Et ratio est, quia ad casum hunc incurrendum non sufficit, ut abortus possit alicui imputari, sed debet esse dedita opera, & ex industria quæsitus. Sic ignorantiam quantumvis crassam, dummodo non sit ingens temeritas, excusare à censura imposita scienter aliquid facienti. Quartò non incidere in casum reservatum matrem, vel patrem, qui uxorem vel filiam leviter caute stiget, vel verbum aliquod proferat: unde mulier ita, & furore percita abortum patiat. Et ratio est, quia hoc modo non dicitur procurare abortum, neque in se, neque in sua causa. Ita Chapeauil. *cas.* 9. de *procurat. abortus*, §. 2. in *princ.* Belloch. de *cas. refer.* p. 2. §. 8. n. 100. Floronus p. 2. *cas.* 5. de *procurantibus abortum*, *num.* 13. Quod verum est, etiam si percussio gravis esset; ita vel percutiendo, vel oburgando ad mortalem culpam perveniret: ita tamen ut abortus non fuisset intentus. Quintò excipi mulierem illam, quæ ex repentina aliqua animi passione, puta lætitia, metu, appetitu sibi natura repugnanti, vel terribili, & formidabili alicujus aspectu, vel terrore ex armatorum, & rixantium hominum visione causato abortum patiat. Et ratio est eadem, quia ipsa non dicitur procurare, sed effectus per accidens, & cōtingenter sequitur, quinimò ut plurimum contra voluntatem sequitur. Adde excusari etiam eum, qui hujusmodi metum mulieri gravidæ incutiat, si probabiliter ignorabat periculum abortus. Secus, verò, si sciens illius facilitatem in abortiendo alicujus monstri figuram, & imaginem dedita opera representavit ad finem abortus. Et ratio est, quia vel dicitur